Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

materialiter de terra sumpta non sunt. ideo tamen non inveniuntur de terra sump
ta esse dicti: quia primi hominis corpus a quo nostra corpora materialiter descen
derunt. de terra per materiam sumptum est. Quod licet sub eodem intellectu de spiri
tibus quoque nostris et si de traduce essent concedentes dici posset. quia a domino dati sunt.
in eo quod a domino datus est ille spiritus primi. a quo per materiam descenderunt. tamen
in hoc probabilius constat animas ex traduce non esse. quod sicut in primo homine corpus
de terra sumptum. spiritus vero a domino datus legitur. ita et ratio expostulat. ut in se
quentibus quoque omnibus caro quidem de carne descendere. spiritus autem a domino credatur
venire. Verumtamen eum spiritum rationalem a domino datum sive inspiratum legimus.
neque tamen eum quasi materialiter de divina essentia sive substantia sumptum cre
dere debemus. Sed quia corpus per materiam de terra venit. spiritus autem sine praejacen
te materia per solam creatoris potentiam esse accepit. sicut corpus ab illo est
ex quo materiam traxit. sic spiritus ab illo est per quem et a quo esse accepit. Per illum
videlicet cum fecit. ab illo autem cum dedit. Dicit rursum psalmista. Qui finxit
singillatim et cetera. Corda quippe id est rationales spiritus sive animas deus singillatim
fingere dicitur: quia non alia ex aliis quemadmodum in corporali natura appa
ret. sed singulas per se de nihilo creare perhibetur. Praeterea cum in lege scrip
tum sit. si quis percusserit mulierem praegnantem. et illa abortivum fecerit.
si non fuerit formatum. mulctetur pecunia. si autem formatum fuerit. red
dat animam pro anima. aperte declaratur quia cum caro ex carne seminatur.
anima simul ex anima non trahitur. Si enim cum carne anima seminaretur. quare in
abortivo et non formato anima pro anima non redderetur. Cum ergo in abortivo
tantum formato anima pro anima reddi jubetur. quid nisi in eo quod necdum forma
tum est. animam adhuc non esse ostenditur. ut videlicet quemadmodum in pri
mo homine prius corpus formatum. deinde animam infusam legimus. ita
et subsequentibus omnibus prius in vulva corpus humanum formari. de